QVAESTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS EXAMINANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, die Iouis xiiij. Februarij, Magiſtro IOANNE LE MERCIER Doctore Medico, moderatore.

An ab eodem calore quatuor humores?

IN hoc μακρῳκόσμῳ Sol aſtrorum decus, & ornamentum mundi, cuius lumine cæteri planetæ lucent, concurrendo ſine diſcrimine
cum cauſis ſecundis plura animantia à ſe inuicem longè diſcrepantia pro materiæ diuerſa conditione effingit : cum Homine
Hominem vnico coitu : cum Mercurio, metalla congelatione generat. Illorum materia, quatuor ſunt Elementa, quibus in hoc
μικρῳκόσμῳ totidem ætates, & anni tempora conferuntur haud ſecus ac humores. Igni enim, aëri, aquæ, & terræ, bilis, ſanguis,
pituita, & ſuccus melancholicus iure conueniunt.

EX his tota maſſa ſanguinis harmoniâ quadam temperata exurgit; quæ non ex æquis humorũ portionibus, ſed diſparibus æſtiman-
da venit. Itaque plus ſanguinis, quàm pituitæ, plus huius, quàm ſucci melancholici, plus ſucci melancholici, quàm bilis labitur per
venas. Quibus quicunque continentur humores, ſinceros non eſſe, nec ſecundarios à primariis differre affirmamus. Nec tamen ita
in vnum conſentiunt, vt alij in alios mutari poſſint; vna excepta pituita, ex qua reliqui humores generari poſſunt: éſtque illius in
ſanguinem aliorum regem & moderatorem facilis mutatio. Quem, ſi ἐς τὴν κοιλίην χυθῇ, ἀνάγκη ἐκπυηθῆναι.

HEPAR τῶν φλεβῶν ῥίζωμα, organum ἡγεμονικὸν, per meſaraicas venas & πύλας, tanquam per manum, Chylum, qui ventriculi forma
factus fuit, diuerſa qualitate præditum arripit: carnéque propria, interuentu caloris ſimplicis, enititur in ſuam naturam mutare, &
ſibi aſſimilando quatuor iſtos humores cum ſpiritu naturali efficere. Quorũ portione verè nutritur iecur, reliquam redundantem
per κυρτὰ in venam cauam perlabi ſinit: & rurſus per eandem viam, qua ad iecur appulit, pro Cyſtis felleæ, ventriculi, epiploi, & in-
teſtinorum nutritione, reuehitur ſanguis, materia ſeminis, teſticulorum viri ſolùm vi maſcula prolifici mulierum nectaris.

NIHIL autem prorſus communi rerum natura ducitur, & cõſiſtit, quod non quatuor illa vulgata rerum primordia, nutritioni li-
cet inepta, quadam miſtionis temperatione compleant : maximè vero alimenta, quæ ſimilia, atque etiam naturæ noſtræ diſſimilia
nutritionis officio funguntur. Hinc fit, vt chylus, qui appetẽtiam ſedat, ex alimẽto factus, quanquam ſimplex ſpecie conſpiciatur,
re vera diuerſarum partium mutua permiſtione concreuerit. Quid igitur, vno iecoris calore, in tam varium & multiformem chy-
lum agente, difficile exiſtimes, varios inde humores procreari?

EX his omnibus ſcire operæpretium eſt, non omnes, quę in alimento aptæ ſunt partes, æquè in omnibus corporibus in bilem con-
uerti, nec omnes, quæ pituitæ generandæ, ſemper in pituitam abire. Nec flaua bilis, quæ non eſt ſpuma ſanguinis, ab im-
moderato ſolùm calore fit, ſed etiam à temperato, & ab imbecillo. Cùm igitur vnus iecoris calor, æqualiter ſe toti chylo exhibet,
in eumque pari robore & conatu vbique incumbit, accidit, vt qui ex his fiant humores diuerſi, eodem tempore emergant, & eo-
dem calore ſimul compareant.

Ergo ab eodem calore quatuor humores.

Aſſerebat Lutetiæ GVLIELMVS DE LA CLAYE Giſortianus, anno Domini M. DC. XIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Stephanus de la Font. Profeſſ. Reg.
M. Carolus Bouuard
M. Claudius Charles. Profeſſ. Reg.
M. Quirinus le Vignon.
M. Dionyſius Guerin.
M. Iacobus Lucus.
M. Ioannes de Renou
M. Petrus Piſard Decan.
M. Nicolaus Iabot.

